

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 63. (*Neovidensis* 1808. Nro. 62.)

---

*Oratio Politica*

De Svecia.

---

Elysium Meum. — Die Martis. 16. Aug. 1808 (Neov. 29. Julii. 1808)

---

Sententia.

Erat tempus, quo Svecia in Germania tropaea legit.

*Puffendorf.*

**P**eregrinans in Germania rudera arcium in montibus conspiciens animi curiositate tentus sciscitatur: quis has moles demolitus? — Coloni in numerato responsum habent: vestigia belli Svecici esse.

Hæc traditio a Saxonia Inferiore, usque Rhenum se diffundit — quævis rudera calvis muris, turribusque prominentia hinc inde, ad rationem belli Svecici exiguntur, quicquid: erat tempus, quo Svecia per Germaniam victoricia arma circumtulit, ut Cel. *Puffendorf* in *Historia Sveciæ* adnotavit.

Constat: nationes boreales olim continuo mitiori australi Climati accessisse, — Vandalis, & Gothi in Italiam Hispaniaque penetrarunt. In provincias Imperii Romani irruerunt, easque diviserunt. Lugubris fuerit aspectus: barbaras, bellicosas tamen turmas

ex Septentrione illabentes, incertis sedibus vagantes videre; ut una aliam protruserat. Usque tandem *Christiana religio* migrantes populos cardini affixit; religiosam in Dioeceses geographicam divisionem iis assignaverat. —

Beneficia Christianæ religionis novissime in Sveciam penetrarunt. — Seculo IX. viri Apostolici eam ingressi quidem, at successu parum prospero. Sec. XI. oræ maritimæ a gentilibus inhabitatæ, at jam adnotante Tacito Sveci uni imperanti parebant, & ab uno regebantur. —

Ante exitum Sec. XVI. nullus Comes, Baro nullus, nullus Marchio in Svecia existit *Ericus XIV.* filius *Gustavi Vasa* eos circa 1562 regno intulit, ad conciliandos hac ratione sibi favores potentiorum fundorum possessorum, at medium isthoc parum proderat, novum reliquit exemplum: quod plerumque despoticam dominandi libidinem consequi solet. —

Princeps hic, filius Restauratoris Monarchiæ Sveciæ, palam & publice in Conventibus Statuum horrendorum facinorum accusatus, solio deturbatus, in Carcerem conjectus est.

Pauci Status tam notabiles scenas in politico theatro egerunt, quam Svecia. *Gustavus Adolphus*, *Carolus XII.* & *Christina*, magnæ hodie sunt memoriæ. Et profecto res mira! in Climate, sub quo vix bimestri spatio terra quid progerminando est, brevi temporis intervallo excellentes viri eminnerunt;

qui hodie dum Europæ admirationi sunt. Artes & Scientiæ ibi florent, Holmia illustri Academia Scientiarum gaudet. Et Princeps Botanicæ in Europa fuit — natione *Suecus*.

Nihilominus advertendum: tempus, quo Svecia victoricia per Germaniam arma circumferebat, ei male consuluisse. Heroica virtus Caroli XII. Monarchiam Svecicam imminuit. Ubi nunc Petropolis floret, Svecica erat patria. Tristis pro heroe memoria! —

Post hanc heroicam Epochum Svecia Politicæ suæ aliam directionem dare debuit. Russia nimio increverat, ut ei armorum fortuna se opponere ausa fuerit. Secretum Conclave Holmiense aliis aulis sui conservationem superstruebat. *Ratione Status sui* ita poscente, *foedere* cum fulgida Porta, Galliaque se conjunxit; eo semper tempore, quo Russia Portam impetebat, & cum ea bello implicabatur, eotum Svecia motus faciebat. Licet adhuc meminisse temporis novissime facti *Gustavi III*, ut Russiæ se opposuerit, *Manifestum*, quod adversus gloriosæ recordationis *Catharinam* edidit, videlicet: ut ab armis desistat, se pacem cum Turcis *sua intermedatione* procuraturum; (occasione lectionis hujus *Manifesti* fragor tormentorum Svecicorum Petropoli audiebatur) hoc inquam *Manifestum est* amplum argumentum *tendentis Politicæ Sveciæ*.

Verum hodie adjuncta Politica Europæ aliam directionem acceperet. — Rex Sveciæ ab usitato hæcenus *Systemate sui Status* reces-

serat, ante adhuc, & hoc post *Fenense prælium*, qua parte se conjuncturus sit, ambigebatur, intercessere *Traditiones*, quæ adhuc incertitudinem ostendebant, usque rex hostilem in Galliam animum declarabat.

Si *Svecia*, ut *accessoria potentia* Russicas partes secuta, ergo & secundum tendentiam, confecta *Pace Tilsitensi* ei agendum fuisset; at recte *oppositum* sequi placuit principium nexum cum *Gallia & Russia & reliqua Europa* solvens, quæ adversus *Angliam* conspiravit.

En lugubrem Epocham! ex qua *Svecia* *Jactura* provinciarum, & infortuniis cingitur; amisit *Pomeraniam*. Amittit *Finniam*, hoc *Granarium* armis Russicis occupatum est, atque in *perpetuum* *Russicæ* unitum; *Svecorum* in *Norvegia* irruptiones non modo successu carebant, sed & serio retundebantur. *Copix Anglicanæ*, opem adferentes, navibus quidem excessere, & quin vel muscam permississent, discesserunt. Jam *Svecia* in *Peninsula Scandinavia*, *aqua & terra* hostibus circumdata, sibi soli relicta est. —

*Profecto* tristia adjuncta! dirimenti fato se subducere *Svecia* nequit! quapropter *adjunctis ita imperantibus* ad *prius Systema* redire cogetur, — at non *vetus*, sed occupationibus attenuata *Svecia*. — *Classis* transportatoria *Anglicana* ante *dissessum* *Gothenburgo* partem *commeatus* *Sveclis* erga altum pretium cessit — e quo colligitur; non habere animum redeundi, tanto minus adversus *Norvegiam* quidpiam molendi.

Hac ratione bellicæ Epopeæ Sveciæ terminus imponitur, quæ: in Germania victoriam olim arma circumtulera, hodie in ea circumferuntur. — Hodie mihi — cras tibi.

Publicis paginis hæc singularis novitas continetur: Regius olim Londini residens legatus Borussicus D. a Jacobi in suo reditu Gothenburgi comprehensus est, usque detinendus, quo Rex Sveciæ de libero sui Regiomonto legati discessu D. a Brinkmann certior redditus fuerit — ita quoque legitur:

Venetis de 16. Julii. Ex aliquot hebdomadis Angli in nostris maribus irritos suscipiunt conatus. Die 29. Junii navigium tentabat munimenta ad ostium Padi erecta medio expositorum littori hominum obruere, & iis aversas oneratas aliquot naves adprehendere, adpulsi nihilominus hostes re infecta facessere de medio, & a cœpto desistere cogebantur. Aequè irrita fuit adgressio navigii Hortensivæ, in portu Istriæ Civitatis novæ stationem habentis, Angli omnem dedere operam id adprehendendi, aut diruendi, adgressio tamen hæc caro iis stetit. Ex biennio tenebant in Insula Dalmatiæ Cherso modicum quidem, ast securum & commodum portum, sub nomine Lussinæ parvæ (Lussin piccolo) notum, ex hoc quasvis oras Dalmatiæ Istriæ & Venetas infestavere, Tergestique hic a Colonello Dembrowsky occupatus, copiisque & machinis bellicis &c. adeo provisus est, ut hosti & hic postremus nidus, in quem se abdat, præclusus habeatur.

serat, ante adhuc, & hoc post *Fenense prælium*, qua parte se conjuncturus sit, ambigebatur, intercessere *Traditiones*, quæ adhuc incertitudinem ostendebant, usque rex hostilem in Galliam animum declarabat.

Si Svecia, ut *accessoria potentia* Russicas partes secuta, ergo & secundum tendentiam, confecta Pace Tilsitensi ei agendum fuisset; at recte *oppositum* sequi placuit principium nexum cum Gallia & Russia & reliqua Europa solvens, quæ adversus Angliam conspiravit.

En lugubrem Epocham! ex qua Svecia Jactura provinciarum, & infortuniis cingitur; amittit Pomeraniam. Amittit Finniam, hoc Granarium armis Russicis occupatum est, atque *in perpetuum* Russiæ unitum; Svecorum in Norvegia irruptiones non modo successu carebant, sed & ærio retundebantur. Copiæ Anglicanæ, opem adferentes, navibus quidem excessere, & quin vel muscam peremissent, discesserunt. Jam Svecia in Peninsula Scandinavia, aqua & terra hostibus circumdata, sibi soli relicta est. —

Profecto tristia adjuncta! dirimenti fato se subduceis Svecia nequit! quapropter *adjunctis ita imperantibus* ad prius *Systema* redire cogetur, — at non *vetus*, sed occupationibus attenuata Svecia. — Classis transportatoria Anglicana ante dissesum Gothenburgo partem commeatus Svecis erga altum pretium cessit — e quo colligitur; non habere animum redeundi, tanto minus adversus Norvegiam quidpiam moliendi.

Hac ratione bellicæ Epopææ Sveciæ terminus imponitur, quæ: in Germania victricis olim arma circumtulcrat, hodie in ea circumferuntur. — Hodie mihi — cras tibi.

Publicis paginis hæc singularis novitas continetur: Regius olim Londini residens legatus Borussicus D. a Jacobi in suo reditu Gothenburgi comprehensus est, usque detinendus, quo Rex Sveciæ de libero sui Regiomonto legati discessu D. a Brinkmann certior redditus fuerit — ita quoque legitur:

Venetis de 16. Julii. Ex aliquot hebdomadis Angli in nostris maribus irritos suscipiunt conatus. Die 29. Junii navigium tentabat munimenta ad ostium Padi erecta medio expositorum littori hominum obruere, & iis aversas oneratas aliquot naves adprehendere, adpulsi nihilominus hostes re infecta facessere de medio, & a cœpto desistere cogebantur. Aequè irrita fuit adgressio navigii Hortensicæ, in portu Istriæ Civitatis novæ stationem habentis. Angli omnem dedere operam id adprehendendi, aut diruendi, adgressio tamen hæc caro iis stetit. Ex biennio tenebant in Insula Dalmatiæ Cherso modicum quidem, ast securum & commodum portum, sub nomine Lussinæ parvæ (Lussin piccolo) notum, ex hoc quasvis oras Dalmatiæ Istriæ & Venetas infestare, Tergestique hic a Colônello Dembrowsky occupatus, copiisque & machinis bellicis &c. adeo provisus est, ut hosti & hic postremus nidus, in quem se abdat, præclusus habeatur.

Extraordinaria Junta Tusciæ sub 11. h. m. Cæsareum Decretum promulgavit, datum Bajonna die 29. Maji, quo delectus 1200 Conscriptorum in Districtu Tusciæ præcipitur, ex his 100 octo gallicis pirobolariorum legionibus, 30 Triariorum Loricatarumque 14 legionibus, 150 novæ legioni venatorizæ Hetrusæ, 900 pedestri Tusciæ legioni immiscebantur. Ex his suppeditat Districtus Anienis 717, Ombrono 153, Mediterraneus 330 viros = 1200.

*Iter Regis Hispaniarum Madritum.*

Miranda (in Hispania) die 14. Julii Rex hora 3 matutina Victoria discessit; Deputationes urbis hujus, & provinciæ Alavæ ad limites usque suæ Jurisdictionis eum prosequabantur. In via Magistratus locales circumjacentium oppidorum & in urbe Judicem (Corregidor) Magistratum urbanum, politica & ecclesiastica Dicasteria, Officiales rei Veredarizæ &c. excepit. Sollicitudo, qua Rex de cunctis edoceri cupit, quæ provinciæ, per quas iter dirigitur, earum producta, & Culturam perfectionemque, cujus capaces, attinent, corda & animos, quorumvis, qui eum adeundi honorem habent, lucratur, devincitque haud minus, quam indulgentia, quam his occasionibus exhibet. Post dimissionem tota die usque vespertinam 9 horam labori vacabat, partim solus, partim cum ministris. Suæ Majestati valetudo constat, quamquam hoc anni æstu suscepto itineri indivulsa incommoda, & molestiæ ad-

hæreant; vix concipi cogitatione potest ut fieri valeat: in modica circiter 300 familiis constante urbe ignes festivos, Musicos Choros, omnesque splendidi festi constitutivas partes, ab ea ceu argumentum fervoris, quo excelsa regis præsentia afficitur, procurari potuisse. (Monit.)

Bribisca (in Hispania) die 15. Julii. Sua Majestas hodie matutina in comitatu Municipalitatis, & Præfecti Telonii usque confinia suarum Diocesium Miranda discessit. Incolæ non modo festivis ignibus, musicisque concentibus, tota nocte excelluere, sed hi sequente mane quoque repetiti sunt. In via ex urbe Miranda! Bribiscam Sua Majestas ubivis vota localium Magistratum excepit, & urbem subiens, Præfectum, Collegium Canonicorum cum suo Decano, aliasque illustres personas, sibi præsentatas, & in conspectum adduci precantes, tum Sua Maj. pro more suo recessit, labori vacatura, vespere urbs collustrata, & festivis ignibus renidebat. (Monit.)

*R u s s i a.*

Petropoli 5. Julii. In argumento tyronum militarium a Dominiis non veste comætuque usque resignationem providendum, sed valoris de utroque Thesaurario Imperiali in parato ære dependendi, jam prolixâ ordinatio prodiit, ex qua hæc excerpta; In diametro numerus quotannis ad completionem exercitus deligendorum tyronum ad Depositoria ablegatorum & in iis exercendo-

rum intra annum efficit 58000, per aversionem tyro a loco discessus usque resignationis, mense eget, a die delectus usque ingressum in legionem, præter vestitum & victum menstruos 50 Kopacos (circ. 1 Flor.) annus nihilominus pro 11 mensibus computandus, cum 12. in itinere constituatur, quo vitæ necessaria in natura, ut dici solet, accipiat. Adusque victualia a Dominio tyroni in natura data in dorso portare, aut si ea multa, aut is debilis fuit equis præjuncturalibus promoveri debuit, quod molestum & sumtuosum fuit. Nova ordinatio ruricolis leviolem, Dominiis paullo duriolem fortassis conditionem reddit, hæc enim valorem præstandorum parato redimere debent, præterea singula eorum aut Communitatum pro singulis tyronibus actutum tres Rubelas dependendas, in locum stipendii usque tempus inscriptionis habent. Cæterum cursus negotiorum simplicior redditur, siquidem occasione expeditionis tyronum pauciores incomparabiliter præjuncturæ adhibendæ cum 25 viris biga solum assignetur. Nocturnam adcommodationem curat Communitas urbana, aut oppidana, quæ secundum currens forense pretium ab itineris Commisariis compensatur.

---